

cordiam tuam. Secundum multitudinē miserationum tuarum dele iniquitatē meam &c. Huius panis inuenire est frustra quædam, seu fragmenta, hæc sunt cordis concussio, infernalium mansionū offensio, spe indulgentiæ largitio. Si quidem cum misericors dominus vult misereri peccatoris, concutit cor eius, & quodammodo calearibus pungit, vt aduerlus suum vulnera peccatorum, & vulnerum sentiat dolorem maximum, considerando malum, quod ex peccato incurrit, & bonum, quo spoliatus est. Terret denique proponendo quattuor nouissimos, considerationem mortis. iudicis iudici, & penarum. Sed ne in desperationis barathrum deduceret, consolationem inspirauit, ac indulgentiæ spem impræstit. Quartus panis est indulgentia peccatorum. Hic panis saluerrimus est & super mel, & sauium dulcorosus. Sic enim indulsit ex toto, & liberaliter omnem donauit iniuriā, vt iam nec damnet vicissendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando, quamuis enim sint aliqui sic deponentes iniuriā, vt non viciscantur, sepius tamen improperant. Et licet sint alii, qui silent, retinent tamen offensam alta mente repositam, nec excludunt ab animo conceptum rancorem, quorum neutrum plena indulgentia est. Longè tamen ab his omnibus est diuina misericordia liberaliter agens, & plene ignoscens, ita quod vbi abundauit delictum, nunc poenitentia deletum, superabundet & gratia. Testantur hanc diuinā benignitatem Petrus, Paulus, Zachæus, Maria Magdalena cum ceteris.

Quintus panis est cōtinuus à peccatis.

Quintus panis, continentia est à peccatis, vbi etiam est inuenire fragmenta tria, seu hostes tres, hominis sanguinem sitientes. Hi sunt Caro, mundus, diabolus. Caro aduersus spiritum concupiscens, domesticus hostis est, quem nec fugere possumus, nec fugare, sed circumferre illum necesse est, quoniam alligatus est nobis. Hostem hunc perimere non licet, sed custodire necesse est pariter, & sustentare. Secundus hostis, præsens seculum est, quod per quinque por-

tas sensus iaculis suis vulnerat animam & mors intrat per fenestras. Tertius hostis, diabolus est, qui tanquam Leo rugiens circumit quærens, quem deuoret. 1. Pet. 5. Hostis hic videri non potest, ideo plus formidabilis. Non enim est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus &c. Eph. 6. Et propheta, Parauerunt sagittas suas in pharetra &c. Diabolus enim nunc aperte & violenter, nunc occulte, & fraudulenter, semper autem malitiosè & crudeliter impugnat, & persequitur hominem. Et ad hæc omnia toleranda quis idoneus? Sextus panis est gratia promerendi bona eternæ vitæ, quam Bernard. vbi supra in tribus maximè stare arbitrat. In odio præteritorum malorum in contemptu bonorum præsentium, & in desiderio futurorum.

Septimus panis est, spes obtinendi, quod promissum est, cuius tria sunt fragmenta, qui hominem roborant, & confirmant, vt nulla penuria meritorum, consideratio propriæ humilitatis, nulla æstimatio celestis beatitudinis ab altitudine spei deicere possit in ea firmiter radicatum.

In quibus denique tota spes supni hominis consistit, hæc sunt, charitas adoptio nis, veritas promissionis, potestas redemptionis. His enim sic habetis, non est (ait beatus Bernard.) quod ine abstrahere possit à spe consequendi æternam beatitudinem, scio. n. cui credidi, & certus sū, quia in charitate nimia adoptauit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione, licet enim ei facere quod voluerit. Hic est funiculus triplex, qui difficile rumpitur.

His panibus septem cibantur quattuor millia hominum. i. omnes legi euangelicæ subiecti. Colliguntur cophini septem doctrinæ catholicæ, prophetarum, epistolarum, quinq; & sanctorum doctorum, quibus reliquit, & nos saturari possumus, si volumus de mensa domini &c. Si placet panibus istis addere paucos pisciculos, facile fieri potest applicatio de diuersis sanctis qui nobis vt exemplaria viuæ, vitam eternam fecerunt

Septem panibus cibantur quattuor milia.